

II.  
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 79.

---

*Secretum litterarum commercium inter vivos  
et vita functos.*

---

Elysiu-Meun, Die Martis 6 Nov. 1810 (Neov. 19. Oct. 1810)

---

**P**ræsens Exemplar *Neovid. Germ.* elegantem complectitur dissertationem de Commercio, in specie Hollandico, quam, exmissis ultro, quæ ad statisticam cognitionem neo hilum faciunt, præcipuo loco inserendam existimavimus.

*Amstelodamo die 9. Oct.* Hujates Ephemerides: *Tabillavius Amstelodam.* seqv. de Hollandico Commercio texunt observationes:

„Si quovis tempore & loco interest causas incrementi & decrementi Statuum disquirere, si explicare prodest, quid eorum saluti consulere, aut ei adversari valeat; profecto his temporum adjunctis quivis Batavus sua id singulariter interesse reputare debet, sed præterea omni contentione, virinum ad principia condenda cooperari quæ novis patriæ suæ adjunctis adaccommoda sunt.

Dubio vacat: sæculorumque experientia docet, Commercio primum vinculum tam singularis, quam communis Societatis esse; ei partim Culturam, promotionem men-

tie colituræ, urbanitatem officiositatemque et-  
ga exteros, mutam inter diversas gentes  
communicationem, in summa: plurima emo-  
lumenta socialium sæculorum in acceptis fe-  
rimus. —

Id quodque negari nequit: ad opes onjus-  
dam regni nihil conferre magis, quam Commer-  
cium suorum Inceleram, atque præ omnibus  
Hollandiam magnitudinem suam Commercio  
soli debere. — Interim non minus historia  
docet: nullam gentem, quæ nihil præter  
Commercio dedita fuit, diuturnitatem conse-  
qui posse, quodque cunctarum id genus na-  
tionum exitus is fuerit, quod alterius, minus  
quidem commercio vacantis, territorialibus  
nihilominus fontibus prævalentis populi pars  
effectæ sint. Athenæ. Carthago, Tyrus, Ve-  
netiæ, Genua & Hollandia totidem veritatis  
hujus argumenta sunt.

Quæ vero hujus phœnomeni ratio esse  
potest? aut fortassis Casui tribuendum censet,  
quod exceptionem subiit nunquam? — Ex-  
pendendo, qui explicandus suscipitur, effectum,  
ad causam ascendere haud est arduum. Com-  
mercio cunctis vitæ tolerandæ mediis præstati-  
tiora emolumenta sunt, si agricultura, artes,  
opificia, Manufacturæ pacatam & securam vi-  
tam porrigunt, tunc nulla conditio adeo  
splendida spes, tam largas conspicuasque  
fortunas offert, quam Commertium. Ve-  
rum quidem est, secundis his eventibus sini-  
stris aliquando casibus æquilibrium teneri,  
at Commercio 1) id cedit emolumento, quod

periculum bona fortunæ solum adficiat, nunquam vero vitam & securitatem personarum attrectet. 2) Si Commercium paulo florens sit, sinistri Casus minus frequentes & facilius reparabiles sint. 3) Natura humana ad sperandam proclivis, secundusque eventus plures imitatores, qui idem audent, alluciet, quam 10 adversi pusillanimos reddendo impares sunt, prout Commercium magis efflorescit, ita plures personæ suis utilibus, gravisque argumenti, occupationibus decedunt; quicunque nullum adhuc vitæ genus amplexi, Commercio præcipua quadam ratione se dedunt, sique successive ut universa populatio mercatoribus, aut hominibus, artibus aut opificiis utilibus Commercio, vacantibus constet; agricultura, Manufacturæ, cuncti alii fontes Civitatis in parte vel de integro negliguntur, aut saltim præcipuo objecto omnis sollicitudinis, utpote Commercio immolantur.

Supervacaneum est edocere: hoc axioma diversa regimina ducta esse, quæ sibi in Hollandia successere. Averti ex Commercio redundante lucro, ejus in publicam & privatam salutem utilitate capti membra harum administrationum neglexerunt quosvis alios fontes ad Commercium, quod attentionem eorum totam absumpsit, efficacius protegendum. Non quæritur: an in adjunctis, quibus Hollandia eotum versabatur, hoc Systema non id fuerit, quod momentanea maxima emolumenta pollicebatur — at prævi-

dere licuit, hunc adjunctorum situm mutari posse; quodque, cum Commercium a pluribus eventis pendeat, quæ ipsos fontes ejus exsiccare possunt, cuncta hæc emolumenta momentanea ductaxat, & caduca esse.

Cum jam adjuncta, quibus Hollandicum Commercium ad præruptum fastigium perductum, desierint, phœnomenon, quod evenit, incertitudinem horum emolumentorum nimis quam probavit, manetque Incolis regionis dolor, tempus totius Commerci desistentiæ, non divinasse. —

Porro facultas adhuc iis residua est, bona a natura data, partas opes, atque industriam applicandi, ut alia ex parte id rursus resarciant, quod per adjuncta Continentis amisere, utque Hollandia minus splendidas, at hoc ipso firmiores durabilioresque opes pariat opibus suorum Majorum." —

*Londino* (14. Octob.) Percepimus sequ. argumenti litteras Incolæ Mexicani ad amicum Philadelphicæ de 28. Dec. p. a. quæ præsentibus rerum adjunctis admodum gravis argumenti sunt, atque ideo publici juris facimus.

„Excellens Prorex Mexicani Regni litteras a D. Ludovico ab Onis percepit, quibus nunciatur, regimen foederatorum Statuum cunctatum fuisse, eum qua extraordinarium legatum, & plena rer. ger. potestate instructum Ministrum Ferd. VII. agnoscere, quo Characterè is a Centrali Junta Hisp. expeditus est, quævis agendi rationes initæ

sunt, quas prudentia in talibus adjunctis de-  
pocit, jussaque ei conformiter data sunt,  
strictissimam vigilantiam in nostris confiniis at-  
que secundum oras adhibendi."

„Inexpectatus hic eventus Regiæ factioni  
addictos (Royalistas) admodum consternavit,  
qui spe ad hoc usque se solabantur, foeder-  
atos Status in hodiernis rerum adjunctis par-  
tes Hispanorum secuturos, amicitiamque,  
quæ præstatur, auxiliumque, quod in tam ex-  
cellente gradu, Americanis sub decursu diu-  
turnæ pro libertate & independentia patriæ suæ  
lucta iis laturis, vicem reddituros esse, verum  
hac spe & expectatione Regii hodie & de præ-  
senti se frustratos vident, actio, quam in pu-  
blicam opinionem exeruere, pro foederatis  
Statibus perquam perniciosa est.

„Utrumque Prorex litteras Dom. Ludov.  
ab Onis percepit, Consilium Status coegit,  
cui 3 Generales Procuratores intererant, lit-  
teræ membris de Collegio Status communi-  
cabantur eum precibus: ut opinionem suam  
depremant, quod die 22. seqv. ratione per-  
fecera.

„Collegæ extraordinarii Consilii Status  
Conventus argumentum litterarum D. Lud.  
ab Onis ab Excellma Dominatione commu-  
nicatarum maturo Judicio expenderunt, &  
in deliberationem acceperunt; communis eor-  
um sententia est: foed. Status Americanos,  
obligatos esse, Dominum Ludov. ab Onis  
ut plena potestate instructum Ministrum  
& extraordinarium Ferdinandi VII. legatum

eiusque nomine ut legatum supremæ Centralis Juntæ agnoscere, quodque in Casu, quo præter omnem expectationem Foederati Status alium Regium Plenipotentiatum ab Hispania ablegatum agnoverint, hæc agendi ratio pro hostili reputanda esset, eoque in Casu Excell. Proregem auctoritate instructum fore, adversus Foederatos Status Repressaliis utendi."

„Ut nihilominus Excellmæ. Dominationi modus suppeditetur in difficilibus his adjunctis opportuna media adhibendi, animadvertendum sibi existimant, necessarium fore, a Dom. Ludovico ab Onis ut exigatur, ut Excellentiæ mandata & nuncios communicet, quos jam percipere potuerit, aut subsequente a Centrali Junta sibi submissa fuerint, atque perinde quasvis relationes præstet, quæ armorum adparatus, aliasque agendi rationes attinent, quas Foederati Status aut jam iniuvare, aut successu temporis adversus Hispaniam initiari sunt."

„Excellentissima Dominatio præsentem Deliberationem cum Dom. Ludov. ab Onis communicare potest, ut in Casu necessitatis ejus Usus facere possit. Eadem ratione eam limitaneis provinciis communicabit, ut secundum eam præparationes suas pro diversis Districtibus adornare possit."

„Ad hæc Prorex Cameræ Thesauri Jussa impertivit ut D. Ludovico ab Onis summe exsolvantur quæ promissionis suæ objecto necessaræ esse possent."

*Ex Helvetia.* Deputati Valliæ Parisios adpulsi per D. de Cadore ad Commissionem ab Imperatore denominatam inviati, quæ cum iis negotia conferat, quæque Senatore Röderer, Consiliario Status Principe Corsini atque Rationum Magistro Helvoet constabat. Post plures Tractationes Cæs. Rescriptum ad Commissionem expeditum, quæ ei demandatum: ut Majestati *Planum* proponat, quod ad ea quæ Coronæ Cæsareæ intersunt, & regionis Independentiam optima, quæ potest, ratione combinandam comparatum esset.

Fertur Præfecto Helvetiæ (Landemann) coram Statibus petitionem Imperatoris Maj. Galliæ scripto consignatam esse; ut ii cum reliquis Confoederatis Civitatibus mutuo consensu Decretum ex Trianon de 5. Aug. atque eo contentam Tariffam præstationum a Colonialibus mercibus desumendarum, in Foederatis Civitatibus adplicare, & executioni dare vellint.

Domina Comes ab Arberg (Imperatrix Josephina) aliquot hebdomades pro commoratione Bernæ variisque excursionibus destinasse videtur. Die 6 apud Excellimum Landemannum & 7. apud Gallicum Negot. Gestorem D. Rouyer prandium sumpsit. Et in Helvetiam orient. Cambiales litteræ ad ejus rationes editæ sunt expectaturque Tuguri.

Nuper admodum Foederis Princeps litteras de 31. Julii percepit, quibus Borussia Regia Maj. Foederatis Civitatibus multum deploratam Regiæ mortem indicat.

Gallicus legatur D. a Talleyrand circa  
Calendas Novembres rursus isthuc adpellat.

*Politicae Episodae.*

Quæ rerum in Turcia facies? — Dimidia luna permultum in ea vetere de fulgore suo amittit, sique Russicæ nubes densius in Bulgaria contractæ fuerint, fieri brevi possit, ut in Europa Turcicæ Eclipsis incidat Lunæ. Novissimi Cæsarei Russici ex Turcia nuncii usque 29. Sept. pertingunt, & sic sonant: "

„Dum victrieta Russicæ Maj. arma arcem Schistow occuparent Supr. Gea. D. C. Kamensky 2 nunciatum: aliud agmen Russicum sub impetio Colon. Zwickeneff munimenta arcis Buno assultu coepisse, pauloque post arce Kladowa potitum esse.

Neo sola Sistewiæ occupatio nobilis ad Batyn Russorum victoriæ felix effectus est. Die 6. (18.) Sept. Ornavam & paullo post Braowam & Negotia cum omni re torment. bellica & annonaria occupavere, quorum occupatio tanto notabilior, quod ex ea parte Serviam adversus Turc. adgressiones tueratur. Quorum progressum immed. conse. Sarium occupatio Rutschuk, & Geurgewæ; quæ ipsis Cæs. Maj. Coronat. solennibus 15 (27.) Sept. ejus glorioso soepto se subje-  
serunt.